

librorum pravorum secuturae, invaliditatis matrimonii ex omissis proclamationibus, etc. Nam, si unicuique parochi vel fideli liceret hujusmodi legum observantiam omittere quotiescumque censerent ex hac omissione nullum sequi perversionis, nullitatis, etc. periculum, finis legis attingi non posset. Plurimi enim optima fide crebro existimarent molestas humanae socordiae cautiones non esse necessarias: ac proinde multa matrimonia invalide contraherentur, plurimi (ut lugenda experientia constat) librorum prohibitorum, quos innocuos putarent, lectione fidem moresve amitterent, etc. (Ball. P. n. 376 seqq.)

Quidam AA., ut Tamburini (in Dec. l. 2. c. 1. § 38), saltem probabile censent: cessare legem quotiescumque etiam mere negative cessat ejus finis in casu particulari. Nituntur paritate cum cessatione legis ubi pro communitate cessat adaequate ejusdem finis: fit enim inutilis saltem in illo casu vel particulari persona. Sed, ut supra dictum est, falso assertitur inutile esse ad bonum commune ut unusquisque legem servet, etiam ubi pro eo cessat finis ejus adaequatus: siquidem haec universalis obligatio ad legis efficaciam vix non necessaria est. De hac opinione scribit S. Alph. (de Leg. n. 199): " Si aliquando casus accideret quod aliquis omnino certus et securus esset abesse omne hallucinationis periculum, tunc non audebam secundam sententiam improbare: sed hujusmodi casus rarissime poterit evenire. „ Sed haec qualiscumque probabilitas vix non mere speculativa est, tum quia hypothesis qua nititur rarissima dicitur, tum quia praecipua ejus consequentia quoad libros prohibitos passim ab AA. et ab ipso S. Alph. (l. c.) rejicitur. (1)

**129. SCHOLION DE CONSUECUDINE.** Consuetudine quae dicitur *praeter legem* etiam nova obligatio introduci potest. Ad hoc autem

(1) Non censem tamen hanc consequentiam, admissa probabilitate hujus sententiae, logice repudiari. Rationes affert S. Alph. (l. c.): 1° Non cessare omnino periculum in lectione librorum pravorum. Verum saepe de absentia periculi pro certa persona in quibusdam libris legendis experientia omnino constat; immo licentia non tollit periculum, sed datur iis pro quibus deesse supponitur. — 2° Non cessat finis adaequatus, cum finis sit etiam ut servetur oboedientia Ecclesiae in materia tam periculosa et ne detur ansa haereticis vel malis scriptoribus perniciose typis demandandi. Sed gratis assertitur Ecclesiam intendisse *tamquam finem* ut sibi oboedientia praestetur in hac re. Haec enim oboedientia in hac lege, perinde atque in ceteris omnibus, non est nisi medium quo finis ab Ecclesia intentus obtineatur. Reapse Ecclesia in prohibitione librorum intendit " ut homines, quoad in se esset, pravorum librorum lectione, hoc est pessimo veneno, prohiberet „ ex quo fiat " ut integritas fidei morumque christianorum ne quid detrimenti capiat. „ (Leonis XIII Const. *Officiorum ac munerum*) Insuper saepe nulla dabitur ansa edendi libros pravos, ut puta si jam penes me habeam librum haereses propugnantem.

requiruntur condiciones similes illis quae necessariae sunt ut consuetudo legi contraria obligationem tollere possit. Nempe oportet ut major pars communitatis diuturno tempore (saltem per decennium) actus aliquos tamquam obligatorios frequentaverit. Quodsi omnes illae condiciones adsunt, consentiunt Canonistae consuetudinem hujusmodi, in lege ecclesiastica, per legalem R. P. consensum vim legis obtinere. Ita communiter admittitur introductum esse impedimentum dirimens disparitatis cultus. At si populus ex mero errore actus aliquos tamquam obligatorios exerceat, ex. gr. Missam aliquo die audiret, eo quod perperam existimaret eam esse praeeptam, nulla inde obligatio induceretur. Ceterum haec potius juvant ad originem aliquarum legum hodie vigentium explicandam quam ad novas introducendas: nam raro constabit de animo communitatis aliquam obligationem sibi imponere volentis quam tamen aliunde abesse norit.

Si lex quaedam consuetudine abrogata est, postea autem iterum observari coepit, plures AA. ut Suar. (de Leg. l. 4, c. 16. n. 13) censent legem hanc statim iterum obligare, quia suspensa est tantum donec communitas in sua consuetudine vult persistere, nec jure suo cedere incipit. Alii, ut Schmalzgr. (in l. 1. Deer. t. 4. n. 38), opinantur non renasci obligationem, utpote extinctam, antequam nova consuetudo legitime praescripta sit, nempe per decennium. Quidam, ut Reiffenst. (in h. t. n. 196 seqq.), utramque sententiam, nihil definientes, proponunt. In foro igitur interno nulla obligatio urgenda est antequam decennium elapsum sit.

## CAPUT VI.

## DE PRAECIPUIS LEGUM SPECIEBUS.

## § I. DE LEGE NATURALI.

**130. DEFINITIO.** Lex naturalis est ordinatio rationis per Sapientiam divinam facta et per lumen rationis a Deo omnibus manifestata. (Schmalzgr. in Prooem. n. 54) Manifestatio haec se habet promulgationis instar et ad perfectam naturam legis ducit eam quae dici solet *lex aeterna*. Haec enim *modo generalissimo* sumpta " nihil aliud est quam ratio divinae Sapientiae secundum quod est directiva omnium actuum et motionum creaturarum in suos fines. „ (S. Th. 1. 2. q. 93. a. 1) Ut autem *speciatim* ad creaturas racionales spectat, est actus divini



Intellectus ab aeterno concipientis regulas necessarias ut creaturae liberae, quae creari possint, ad Deum tamquam finem suum dirigantur, et divinae Voluntatis obligationem creaturis liberis imponentis ad easdem regulas servandas. Plura de his apud Philosophes Morales.

**DIVISIO.** 1<sup>o</sup> Praecepta legis naturalis, sicut ceterarum legum, possunt dividi in affirmativa, negativa, permissiva, irritantia.

*Affirmativa* praecipunt ea quae a natura rationali ita exiguntur ut necessario a Deo praecipienda sint. *Negativa* similiter vetant ea quae ita eidem naturae rationali adversantur ut necessario sint velanda.

*Permissiva* vero praestant facultatem ut actiones quaedam valide aut licite hac vel illa ratione fiant, ex. gr. ut matrimonium valide sine testibus contrahatur; non requirunt tamen ut semper eadem actiones maneant validae vel licitae. *Irritantia* tandem faciunt quosdam actus ob defectum substantialem nullos, ex. gr. polyandriam simultaneam.

2<sup>o</sup> Distinguuntur praecepta *absoluta*, seu ab omni conditione independentia, ex. gr. Deus colendus est, et *condicionata*, quae supponunt aliquod factum, ex. gr. juramentum est servandum. Hoc factum quandoque potest esse supernaturale. Ita dicitur lex naturalis praescribere actum fidei homini cui credibilitatis motiva satis proposita fuerint. Hinc oritur jus naturale *absolutum* et *hypotheticum*.

3<sup>o</sup> Inter varia juris naturalis dictamina distinguuntur etiam ea quae expriment id quod absolute a natura rationali exigitur, ex. gr. ne sit polyandria, et ea quae expriment naturae rationalis inclinationem, ex. gr. ne sit polygynia. Priora jus *strictum* seu *primarium*, posteriora jus *latum* seu *secundarium* constituere dicuntur.

N. B. Ad legem naturalem prope accedunt ea quae sunt *Juris gentium*, secundum S. Thomam et communem veterum consuetudinem intellecti: "Nam ad jus gentium pertinent ea quae derivantur ex lege naturae sicut conclusiones ex principiis, ut justae emptiones, venditiones et alia hujusmodi, sine quibus homines ad invicem convivere non possunt: quod est de lege naturae, quia homo est naturaliter animal sociabile." (1. 2. q. 95. a. 4) Angelicus affirmat quidem (l. c.) jus gentium contineri sub jure positivo; sed tamen, ubi discrimen ejus a lege naturali explicat, id valde exiguum esse innuit. "Jus gentium (ib. ad 1<sup>um</sup>) est quidem aliquo modo naturale homini, secundum quod est rationalis, in quantum derivatur a lege naturali per modum conclusionis, quae non est multum remota a principiis, unde de facili in hujusmodi homines consenserunt; distinguitur tamen a lege naturali, maxime ab eo quod est omnibus animalibus commune." Quod ultimum fusius explicat in 2. 2. q. 57. a. 3. ubi ponit duplicem sensum quo aliquid possit dici naturale, et concludit: "A jure autem naturali recedit

jus gentium, ut Jurisconsultus dicit (Lib. I ff. de Just. et Jure), quia illud omnibus animalibus, hoc solum hominibus inter se commune est. Quare plura ex iis quae a S. Thoma aliisque veteribus dicuntur esse juris gentium eo quod jus naturale strictiori sensu usurpabant, hodie, cum jus naturale latiori sensu adhiberi soleat, ad hoc referenda sunt. Exemplum habes in divisione honorum.

Alio prorsus sensu jus gentium apud recentiores plurimos usurpatur pro jure quod inter gentes viget seu quo relationes variarum gentium inter se reguntur: quod profecto partim ad jus naturale et immutabile, partim ad jus conventionale et mutabile pertinet. Videsis egregium libellum P. Van Gestel S. J. de Justitia et Lege civili, cap. I. § 4.

**131. QUAER. I.** Quatenus legis naturalis praeepta ab homine rationis usu gaudente ignorari possint.

**RESP.** 1<sup>o</sup> Dari facile potest ignorantia facti, qua scil. homo, conscius prohibitionis generalis, nescit hoc illudve concretum factum prohiberi. Insuper, si excipiuntur principia plane universalissima, ex. gr. *bonum faciendum, malum fugiendum, cetera vincibiliter* ignorari posse satis constat. Possunt enim de cordibus hominum deleri propter pravas consuetudines et habitus corruptos. Cfr. Rom. I, 24 seqq.

2<sup>o</sup> *Invincibiliter* ignorari nequeunt, saltem diu, ea quae cum modica consideratione e primis et communibus principiis derivantur. Haec enim statim ratio naturalis per se judicat facienda vel non facienda esse. Talia sunt pleraque Decalogi praeepta, ex. gr. *Honora patrem et matrem. Non furtum facies.* (S. Th. 1. 2. q. 100. a. 1) Haec tamen interdum invincibiliter ignorari posse videntur, praesertim a rudibus, a pueris, ab iis qui in gentibus plane barbaris educati sunt. Ita a pueris ignorari potest malitia pollutionis, a rudioribus malitia mendacii officiosi, etc. Attamen, antequam admittatur error tamquam invincibilis, interrogandi sunt qui eo laborare videntur num confusam saltem malitiae cognitionem habuerint et inquirendi obligationem perceperint. In iis enim quae cuique obvia sunt *praesumendus* est error fuisse vincibilis.

3<sup>o</sup> *Invincibiliter* ignorari possunt illa praeepta legis naturalis quae subtiliori consideratione a generalibus principiis deducuntur. Haec enim rudiores tantum a sapientibus discere possunt. (S. Th. l. c.) Immo etiam sapientissimos invincibiliter ignorare posse quasdam conclusiones remotiores, liquido patet e dissensu DD. et etiam Sanctorum Patrum circa quasdam legis naturalis, praesertim in extraordinariis adjunctis, applicationes. Cfr. Ball. P. de Act. Hum. n. 80 seq. ubi citatur textus S. Augustini (de Serm. Dom. in monte, l. 1. c. 16. n. 50) dubitantis num,



in quibusdam adjunctis, uxor, consentiente marito, adulterium patrare debeat.

Facilius admittendus est error quando duo praecepta in partem oppositam trahere videntur, ex. gr. proposita quaestione num ad eleemosynam faciendam furari liceat, vel quando lex civilis aliquid moraliter malum permittit aut saltem tolerat. Ita Sporer (Theol. Sacr. P. IV. c. 3. n. 572) citatis aliis DD. admittit dari posse ignorantiam invincibilem de malitia fornicationis, etiam inter Christianos, in locis ubi permittuntur meretrices publicae, eo quod rudes non distinguant inter licitum sine culpa et permissum sine poena, quod testimonio confessariorum in iis locis constare dicit. Etiam S. Thomas (de Malo, q. 3. a. 8) admittit invincibiliter ignorari posse fornicationis prohibitionem.

Speciatim inquirere solent DD. num dari possit in rudioribus ignorantia invincibilis circa malitiam pravi desiderii quando norunt ipsum actum externum, ex. gr. fornicationis, esse graviter malum. Consentunt autem ut negent hoc fieri posse, ubi de desideriis *vere efficacibus* agitur, eo quod nequit a peccato excusari qui vult exsequi rem quam a Deo prohibitam esse novit. Plerique tamen admittunt talem ignorantiam dari posse in desideriis *inefficacibus* et *condicionatis*: quod valde probabile est, siquidem tot quaestiones circa malitiam talium desideriorum inter DD. disputantur. Cfr. S. Alph. de Conse. n. 9; Ball. P. de Conse. n. 46.

In tali argumento confessarius praesumptione quidem duci debet, sed simul prudenter investigare num, in casu dato, praesumptio cedere debeat veritati, cum difficillimum sit certos limites ignorantiae humanae ponere.

**132. QUAER. II.** Quatenus legis naturalis praecepta sint mutabilia.

**RESP.** 1<sup>o</sup> Nequit lex naturalis mutari *ab intrinseco*, cum in ipsa rerum natura fundetur. Si qui DD., ex. gr. S. Th. (1. 2. q. 94. a. 5), tenent eam mutari posse in aliquo casu particulari propter speciales causas impediens observantiam aliquorum praeceptorum, id unice videntur intendere: legem naturalem, utpote in mentibus tantum scriptam, efferrī solere formulis valde generalibus, ex. gr. *depositum est reddendum, secretum servandum*, subauditis quibusdam condicionibus quas lex ipsa naturalis supponit, ex. gr. *dummodo depositum repetatur rationaliter, dummodo secretum sine detrimento reipublicae servari queat*. Hinc, ubi non verificantur hujusmodi condiciones, videtur cessare in casu particulari lex naturalis dum revera servatur.

2<sup>o</sup> Neque *ab extrinseco* mutari vere potest lex naturalis per dispensationem: siquidem ipse Deus, supposita creandi voluntate, necessario

velle debet ut ordo ex ipsis rerum naturis oriundus servetur. Dispensationes autem apparentes praecipue explicantur mutatione quae in ipso objecto facta sit. Ita Deus, dum Abraham jussit filium suum immolare, non dispensavit in praecepto quo homicidium vetatur, sed concessit Abrahae jus quod Ipsi in omnium hominum vitam competit. Similiter relaxando jus quod Ipsi ex voto acquisitum est, efficit ut jam non habeatur objectum quod lex naturalis intendit ubi jubet votum servandum esse. Magis manifestum est non dari dispensationem proprie dictam in lege naturali, ubi permittuntur quaedam quae juri tantum lato adversantur, ex. gr. polygynia, divortium. Cfr. Bouquillon, Theol. Mor. fund. n. 68 seqq.

## § 2. DE LEGE POSITIVA DIVINA.

**133.** Lex positiva divina ea dicitur quae oritur a libera Dei voluntate. Manifestum est de ea per solam revelationem constare posse. Ideo, ut cognoscamus quatenus leges positivae divinae homines obligent, ad revelationem tum veteris, tum novi Testamenti recurrendum est.

I. E *revelatione primitiva et Mosaica* remanent hodie servanda tantum *moralia* praecepta.

Ratio est, quod cetera praecepta, nempe caerimonialia et judicialia, abolita sunt cum forma cultus divini et oeconomia politica quam Deus populum judaicum servare praeceperat donec Christus novum Testamentum instituerit. *Moralia* vero servanda remanent: his enim declaratur tantum magisque determinatur jus naturale; deinde Christus non solum ea nullatenus abrogavit, sed et diserte confirmavit. (Matth. V, 17) Talia sunt Decalogi praecepta et lex ab initio mundi lata ad sancendam matrimonii unitatem et indissolubilitatem. (Matth. XIX, 4 seqq.)

**134. II.** In *revelatione Christiana* pariter distinguere est praecepta divina quae immediate ad mores dirigendos, et praecepta quae immediate ad cultum divinum vel oeconomiam reipublicae spectant.

Praecepta *moralia* nulla Christus addidit iis quae jure naturali omnes adstringebant. Verum quidem est praecepta virtutum theologalium se extendere ad quaedam objecta nova, ex. gr. ad credendum *explicite* Incarnationis mysterium, ad sperandam remissionem peccatorum *explicite* per Christum. Sed ista extensio, supposita horum objectorum propositione a Christo facta, ex ipsa lege naturali sequitur. (n. 130) Proposuit insuper divinus Legislator altiore prorsus perfectionem, sed per modum consilii, non praecepti.

Praecepta *caerimonialia* seu ad cultum pertinentia dedit Christus dum N. L. Sacrificium et Sacramenta instituit.



Praecepta *judicialia* seu ad oeconomiam reipublicae christianae spectantia, Christus non dedit nisi quatenus Ecclesiam hierarchicam instituit cui fideles omnes subesse jussit.

Leges immediate a Christo latae videntur afficere omnes homines, eo sensu quod omnes obligantur ad Ecclesiam ingrediendam et, postquam illam ingressi fuerint, ad implenda cetera praecepta quae baptismum supponunt, ex. gr. suscipiendi S. Eucharistiam. Ratio est quod, saltem a tempore quo Apostoli per omnem terram Evangelium praedicavere, sufficienter promulgata est lex Christi ut moraliter in omnium cognitionem venire possit. Quodsi multi eam adhuc ignorant, ii propter deficientem cognitionem legis ab ea servanda excusantur. (n. 102)

### § 3. DE LEGE ECCLESIASTICA.

135. Pleraque quaestiones de hac lege jam supra enodatae sunt, praecipue Cap. II. § 1. Hic manet tantum tractanda quaestio satis implexa de auctoritate decretorum quae a SS. Congregationibus Romanis eduntur.

Breves quasdam notiones praemitemus de iis Congregationibus quarum decreta frequentius a Theologis Moralibus citantur.

1<sup>o</sup> *Congregatio S. Officii seu Romanae et Universalis Inquisitionis* a Paulo III anno 1542 instituta. Ei praesidet ipse R. Pontifex. Illius S. C. est judicare de causis haeresis vel aliorum scelerum quae, ex Jure, aliquem de haeresi suspectum faciunt; insuper quaestiones ad fidem et sanam doctrinam pertinentes decreto disciplinari dirimere.

2<sup>o</sup> *S. Congregatio Indicis* a S. Pio V instituta et a Benedicto XIV novo ordine composita. Haec, tamquam subsidium S. Inquisitioni ferens, libros fidei vel moribus infensos reprobat ac prohibet.

3<sup>o</sup> *S. Congregatio Concilii Tridentini Interpretum*, quae brevius dici solet *S. C. Concilii*, a Pio IV anno 1564 erecta. Haec initio nullum aliud munus habebat quam ut Concilium Tridentinum interpretaretur. Postea autem a Pio V et Sixto V insuper potestatem accepit dirimendi tum per viam judicii, tum per viam interpretationis, dubia quae, etiam extra Tridentini materiam, in quacumque Juris canonici parte orirentur. Decreta sua, interdum sua tantum auctoritate, interdum, in gravioribus rebus, consulto R. P. emittit.

4<sup>o</sup> *S. Congregatio Episcoporum et Regularium*, in unam conflata e duabus quas Sixtus V anno 1587 erexit, alteram super negotiis Episcoporum, alteram super negotiis Regularium. Ejus est dirimere causas quae exoriantur inter Episcopos vel Regulares, et definire quaecumque ad rectum statum et regimen Ordinum regularium pertinent.

5<sup>o</sup> *S. Congregatio Rituum* a Sixto V instituta ad cultum Dei recte ordinandum et abusus exstirpandos. Haec quoque curat quaecumque ad processus beatificationis et canonizationis spectant.

6<sup>o</sup> *S. Congregatio Indulgentiarum et SS. Reliquiarum* a Clemente IX anno 1669 erecta, cum munere curandi ne indulgentiae apocryphae vulgentur, nec reliquiae falsae colantur, et dirimendi quaecumque dubia et difficultates de utrisque occurrant vel proponantur.

7<sup>o</sup> *S. Congregatio de Propaganda Fide* erecta a Gregorio XV anno 1622 ad tractanda omnia negotia quae ad fidem in universo mundo propagandam pertinent. Ipsi subsunt omnes missiones et regiones quae ad instar missionum administrantur.

Non raro quoque, praesertim in materia matrimonii vel censurarum, citantur responsa *S. Poenitentiarum Apostolicarum*. Hoc est tribunal ad absolutiones, dispensationes similesque gratias conferendas institutum. Habet Major Poenitentiarius facultatem declarandi, cum consilio Doctorum et Theologorum suorum "dubia omnia in materia peccatorum seu forum poenitentiale alias quomodolibet concernentia." (Bened. XIV Const. *Pastor bonus*)

136. In quaestione de vi decretorum quae a Romanis Congregationibus eduntur, semper supponuntur decreta *plane authentica*. Scilicet oportet ut a Praefecto Congregationis firmata, a Secretario subscripta et sigillo munita producantur vel alia ratione de eorum authentia constet. Generatim in rebus gravioribus non nisi consulto R. P. edi possunt. Ceterum de authentia decretorum hodie vix dubium manebit, sive quod in authenticis decretorum collectionibus reperiuntur, sive quod ephemeridibus fide dignis ubique vulgantur.

Authenticitate supposita, satis constat de sequentibus:

1<sup>o</sup> Vis verae Constitutionis Pontificiae inest iis decretis quae, ab aliqua S. Congregatione exarata, specialiter a R. P. approbantur, additis clausulis clarissimis, et ad omnes locorum Ordinarios mitti jubentur. Nemini enim dubium esse potest quin haec documenta auctoritate simul et promulgatione requisita polleant. Exemplo sit decretum *Quemadmodum* jam supra (n. 87) citatum.

2<sup>o</sup> Tenentur omnes catholici "se subicere decisionibus, quae, ad doctrinam pertinentes, a Pontificiis Congregationibus proferuntur." Ita Pius IX in epist. ad Archiep. Monac. 21 Dec. 1863. (Denz. n. 1537) Tales autem decisiones doctrinales eduntur praecipue a S. Officio. Cfr. epistolam a Leone PP. XIII ad Archiep. Mediolanensem 1 Junii 1889 datam, qua vehementer queritur de iis qui, ob inanes praetextus, obcedentiam detrectabant decreto S. Officii quo 40 Propp. Rosminianae proscriptae fuerant. (Act. S. S. t. 21. p. 709 seqq.)